Misit in eos cynomiā et comedit eos: et ranam et disperdidit eos. Et dedit erugini fructus eorū: et labores eorū locuste. Et occidit in grandine vineas eorū: et moros eorū in pruina. Et tradidit grādinī iumēta eorū et possessionē eorū igni. Misit in eos irā indignatiōis sue: indignationē et irā et tribulationē: immisiōes per angelos malos. Viā fecit semite ire sue: et nō pepercit a morte aniabus eorū: et iumēta eorū in morte cōclusit. Et percussit omne primogenitū in terra Egypti: primitias oīs laboris eorū in tabernaculis cham. Et abstulit sicut oves populum suū: et perduxit eos tanq̄ gregē in deserto. Et deduxit eos in spe et nō timuerūt: et inimicos eorū operuit mare. Et induxit eos in montē sanctificatiōis sue: montē quē acquisit dextera ei⁹. Et eiecit a facie eorū gentes: et sorte diuisit eis terrā in funiculo distributionis. Et habitare fecit in tabernaculis eorū: tribus israel. Et tentauerūt et exacerbauerūt deū excelsum: et testimonia eius nō custodierunt. Et auerterūt se et nō seruauerūt pactū: quēadmodū patres eorū cōuersi sunt in arcum prauū. In iram cōcitauerūt eū in collibus suis: et in sculptilibus suis ad emulationē eum prouocauerūt. Audiuit de⁹ et spreuit: et ad nihilū redegit valde israel. Et repulit tabernaculū sylo tabernaculū suū: vbi habitauit in hominib⁹. Et tradidit in captiuitatē virtutē eorū: et pulchritudinē eorū in man⁹ inimici. Et conclusit in gladio populū suū: et hereditatē suā spreuit. Iuvenes eorū comedit ignis: et virgines eorū nō sunt lamentate. Sacerdotes eorū in gladio ceciderunt: et vidue eorum nō plorabant. Et excitatus est tanq̄ dormiens dñs: tanq̄ potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. Et repulit tabernaculum Joseph: et tribum Efraym non elegit. Sed elegit tribum Iuda: montē syon quē dilexit. Et edificauit sicut vnicornium sanctificiū suū in terra: quā fundauit in secula. Et elegit David seruū suū: et sustulit eum de gregibus ouium: de post fetantes

accepit eum. Pascere Jacob seruū suum: et israel hereditatē suā. Et pavit eos in innocētia cordis sui: et in itellectibus manū suarū deduxit eos.

Author psalmi propheta Azaph. Titulus cantici-
cum Azaph. Et est psalmus de lamentabili deprecatione fidelium ppter multiplicē persecutionem malorum: et de letabunda gratiarū actione pro sua liberatione. ¶ Psalmus. 78.

D **E**us venerunt gentes in hereditatē tuam: polluerūt templum sanctū tuū: posuerūt hierusalē in pomorū custodiā. Posuerunt morticina seruoꝝ tuorum escas volatilibus celi: carnes sanctorum tuorum bestijs terre. Effuderūt sanguinē ipsorum tanq̄m aquam in circuitu hierusalem: et nō erat qui sepeliret. Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt. Usquequo domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus. Effunde iram tuam in gentes que te non nouerunt: et in regna que nomē tuum nō inuocauerunt. Quia comederunt Jacob: et locum eius desolauerunt. Ne memineris iniquitatū nostrarum antiquarū: cito anticipent nos misericordie tue quia pauperes facti sumus nimis. Aduua nos deus salutaris noster: et propter gloriam nois tui domine libera nos: et propicius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Ne forte dicant in gentibus ubi est deus eorum: et innotescāt in nationibus coram oculis nostris. Vltio sanguinis seruoꝝ tuorum qui effusus est: introeat in cōspectu tuo gemitus compeditorum. Sicut magnitudinem brachij tui: posside filios mortificatorum. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improprium ipsorum quod exprobrauerunt tibi domine. Nos autē populus tuus et oues pascue tue: confitebimur tibi in seculum. In generatione et generationem: annuntiabimus laudem tuam.

Author psalmi Propheta Azaph. Titulus ad
victoriā super lilia testimoniū Azaph. Et est psalmus de primo aduentu Christi scz in carne: et de inceptione ac perfectione ecclesie cuius processus et status hic designat sub noie vinee. ¶ Psalmus. 79.

Q **V**i regis israel intēde: qui deducis velut ouem Joseph. Qui
 f iij

Die Veneris**Quinquagena Secunda.**

sedes super Cherubin manifestare: corā Ephraym Benjamin et Dana
 se. Excita potentiā tuā et veni: vt saluos facias nos. Deus conuerte nos:
 et ostende faciē tuam et salui erimus. Domine deus virtutū: quousq; ira
 seris super orationē serui tui. Cibabis nos pane lachrymarū: et potum
 dabis nobis in lachrymis in mensura. Posuisti nos in contradictionem
 vicinis nostris: et inimici nostri subsannauerūt nos. Deus virtutum con
 uerte nos: et ostende faciē tuam et salui erim⁹. Vineam de Egypto tran
 stulisti: eiecisti gentes et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu
 eius: et plantasti radices eius et impleuit terram. Operuit montes um
 bra eius: et arbusta eius cedros dei. Extendit palmites suos vsq; ad ma
 re: et vsq; ad flumen propagines eius. Vt quid destruxisti maceriā eius:
 et vindemiant eam omnes qui pretergrediuntur viam. Exterminauit
 eam aper de silua: et singularis ferus depastus est eam. Deus virtutum
 conuertere: respice de celo et vide et visita vineā istam. Et perfice eam quā
 plantauit dextera tua: et super filium bois quem confirmasti tibi. Incen
 sa igni et suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt. Fiat manus tua
 super virum dextere tue: et super filium bois quē cōfirmasti tibi. Et non
 discedimus a te: viuificabis nos et nomen tuum inuocabimus. Domine
 deus virtutum conuerte nos: et ostende faciem tuam et salui erimus.

Authoꝝ psalmi propheta Asaph. Titulus victo

ri in torcularibus Asaph. Et est psalmus de inductione fidelium ad laudandum deum: ac de pressura ec
 clesie bonorumq; probatione et malorum reprobatione. ¶ Psalmus. 80.

Xultate deo adiutori nostro: iubilate deo Jacob. Sumi
 te psalmū ⁊ date tympanū: psalteriū iucundum cū cytha
 ra. Buccinate in neomenta tuba: in insigni die solennita
 tis vestre. Quia preceptum in israel est: et iudicium deo Jacob. Testimo
 nium in Ioseph posuit illud cū exiret de terra Egypti: linguā quā nō no
 uerat audiuit. Diuertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophi

no seruiert. In tribulatione inuocasti me et liberaui te: et exaudiui te in abscondito tempestatis: probaui te apud aquã cõtradictionis. Audi populus meus et contestabor te: israel si audieris me non erit in te deus recens: neq; adorabis deum alienũ. Ego em̃ sum dñs deus tuus qui eduxi te de terra Egypti: dilata os tuũ et implebo illud Et nõ audiuit populus meus vocẽ meam: et israel nõ intendit mihi. Et dimisi eos s̃m desideria cordis eorũ: bunt in adinventionibus suis. Si populus meus audisset me: israel si in vijs meis ambulasset. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: et super tribulantes eos misissem manũ meam. Inimici domini mentiti sunt ei: et erit tempus eorum in secula. Et cibauit illos ex adipe frumenti: et de petra melle saturauit eos.

Authoꝝ psalmi propheta Azaph. Titulus psal-

mus Azaph. Et est psalmus de primo aduentu Christi: et de redargutio veteris synagoge ac de increpatione iniquoꝝ et predictione damnationis et pene eorum. ¶ Psalmus. 81.

D **Deus** stetit in synagoga deoꝝ: in medio aut̃ deos dijudicat.

Vsquequo iudicatis iniquitatẽ: et facies peccatoꝝ sumitis. Iudicate egeno et pupillo: humilem et pauperẽ iustificate. Eripite pauperẽ et egenum: de manu peccatoris liberate. Nescierunt neq; intellexerũt in tenebris ambulant: mouebũtur omnia fundamenta terre. Ego dixi dis estis: et filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini: et sicut vnus de principibus cadetis. Surge deus iudica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

Authoꝝ psalmi Propheta Azaph. Titulus can-

ticũ psalmi Azaph. Et est psalmus de secundo aduentu Christi ad iudiciũ: et de graui persecutione fidelũ ac multiplici vel hic vel in futuro punitione, persecutioũ. ¶ Psalmus. 82.

D **Deus** quis similis erit tibi: ne taceas: neq; cõpescaris deo. Quoniam ecce inimici tui sonuerũt: et qui oderũt te extulerũt caput Super populũ tuũ malignauerũt consiliũ: et cogitauerunt aduersus sanctos tuos. Dixerũt venite et disperdamus eos de gente: et non memores

Die Veneris

Quinquagena Secunda.

nomen israel ultra. Quoniam cogitauerunt vnanimiter simul aduersum te: testamentum disposuerunt tabernacula ydumeorum et ismaelite. Moab et Agareni Sebal et Amon et Amelech: alienigene cum habitantibus Lyorum. Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filijs Lotb. Fac illis sicut Madiam et Syzare. sicut Jabin in torrete Lyson. Disperierunt in dor: facti sunt ut stercus terre. Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb et Zebee et Salmiana. Omnes principes eorum: qui dixerunt hereditate possideamus sanctuarium dei. Deus meus pone illos ut rotam: et sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit siluam: et sicut flamma combures montes. Ita persequeris illos in tempestate tua: et in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia: et querent nomen tuum domine. Erubescant et conturbentur in seculum seculi: et confundantur et pereant. Et cognoscant quod nomen tibi dominus: tu solus altissimus in omni terra.

Autho: psalmi Propheta aliquis de filiis Chore

Titulus ad victoriam pro torcularibus filiis Chore psalmus. Et est psalmus de feruente desiderio iustorum in pressuris laborantium deueniendi ad gaudium civium supernorum: et de modo veniendi ad ipsam. ¶ Psalmus. 83.

Quoniam dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria domini. Cor meum et caro mea: exultauerunt in deum viuum. Etenim passer inuenit sibi domum: et turtur nidum ubi reponat pullos suos. Altaria tua domine virtutum: rex meus et deus meus. Beati qui habitant in domo tua domine: in secula seculorum laudabunt te. Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum: in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur deus deorum in syon. Domine deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe deus Jacob. Protector noster aspice deus: et respice in faciem Christi tui. Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super milia. Ele

gi abiectus esse in domo dei mei: magis q̄s habitare i tabernaculis peccatorum. Quia misericordiam et veritatem diligit deus: gratiam et gloriam dabit dominus. Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: domine virtutum beatus homo qui sperat in te.

Author psalmi Propheta aliquis de filijs Chore

Titulus victorū filiorū Chore canticū. Et est psalmus de aduentu Christi primo ⁊ incarnationis misterio ac de pluribus beneficijs inde humano generi misericorditer collatis. ¶ Psalmus. 84.

b **B**enedixisti dñe terrā tuam: auertisti captiuitatē Jacob. Remisisti iniquitatē plebis tue. operuisti omnia peccata eorū. Mitigasti omnē iram tuā: auertisti ab ira indignationis tue. Conuerte nos deus salutaris noster: et auerte irā tuam a nobis. Nunquid in eternum irasceris nobis: aut extends iram tuam a generatiōe in generationem. Deus tu cōuersus viuificabis nos: et plebs tua letabitur in te. Ostende nobis domine misericordiā tuam: et salutare tuū da nobis. Audiā quid loquatur in me dñs deus: quoniā loquetur pacē in plebem suam. Et super sanctos suos: et in eos qui conuertuntur ad eor. Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra. Misericordia et veritas obuiauerunt sibi: iusticia et pax osculate sunt. Veritas de terra orta est: et iusticia de celo prospexit. Etenim dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum. Iusticia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Author psalmi Propheta David. Titulus oratio

David. Et est oratio Christi instante passione: vel fidelis positi in corporali vel spiritali tribulatione: et recurrentis ad deum pro sua liberatione. ¶ Psalmus. 85.

i **I**ncлина domine aurem tuam et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego. Custodi animā meā quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum deus meus sperātem in te. Miserere mei domine quoniam ad te clamaui tota die: letifica animam serui tui: quoniam ad te dñe animā meā leuaui. Quoniā tu domine suavis et mitis: et mul

Die Veneris**Quinquagena Secunda.**

te misericordie omnibus inuocantibus te. Auribus percipe dñe orationem meā: et intende voci deprecationis mee. In die tribulatiōis mee clamaui ad te: et exaudisti me. Non est similis tui in dijs dñe: et non est sicut opera tua. Omnes gentes quas cūq; fecisti veniēt et adorabunt coram te dñe: et glorificabūt nomē tuū. Quā magnus es tu et faciēs mirabilia tu es deus solus. Deduc me dñe in via tua: et ingrediar in veritate tua: letet cor meum vt timeat nomē tuum. Confitebor tibi dñe deus meus in toto corde meo: et glorificabo nomē tuum in eternum. Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Deus iniqui insurrexerunt super me: et synagoga potentiū quesierunt animam meam: et non proposuerunt te in cōspectu suo. Et tu dñe deus miserator: et misericors: patiens et multe misericordie et verax. Respice in me et miserere mei: da imperiū tuū puero tuo: et saluū fac filium ancille tue. Fac mecum signum in bono: vt videant qui me oderunt et confundantur: quoniam tu dñe adiuuisti me et consolatus es me.

Author psalmi aliquis de filijs Chore Titulus filiorū Chore cantici psalmus. Et est psalmus de ecclesie militaris fastigio et dilatatione: ac de ecclesie triumphantis preconio eiusq; iugi leticia et laude. ¶ Psalmus. 86.

Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit dñs portas syon super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas dei. Memor ero Raab et Babilonis: scientium me. Ecce alienigene et tyrus et populus Ethiopum: hi fuerūt illic. Nunquid syon dicet homo: et homo natus est in ea: et ipse fundauit eam altissimus. Dominus narrabit in scripturis populorū: et principum horum qui fuerunt in ea. Sicut letantium omnium: habitatio est in te.

Author psalmi propheta Heman ezraite. Titulus cantici psalmi filijs Chore ad victoriā super machabat ad respondēdū eruditioni Deman ezraite. Et est psalmus de Christi et suorū membrorū passione inimicorūq; contemptu et amicorū elongatione ac deuota diuini auxiliij imploratione. ¶ Psalmus. 87.

Domine deus salutis mee: in die clamaui et nocte coram te

Intret in conspectu tuo oratio meo: inclina aurē tuam ad precem meam.
Quia repleta est malis anima mea: et vita mea inferno appropinquabit. Estimatus sum cū descendētibz in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris: quorū nō es memo: amplius: et ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis et in vmbra mortis. Super me confirmatus est furor tuus: et oēs fluctus tuos induxisti super me. Longe fecisti notos meos a me: posuerūt me abhominatiōē sibi. Traditus sum et nō egrediebar: oculi mei languerūt p̄ inopia. Clamaui ad te dñe: tota die expandi ad te manus meas. Nunquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt et confitebunt tibi. Nunquid narrabit aliq̄s in sepulchro misericordiā tuam: et veritatē tuā in perditionē. Nunquid cognoscent in tenebris mirabilia tua: et iusticia tua in terra obliuionis. Et ego ad te dñe clamaui: et mane oratio mea p̄ueniet te. Vt quid dñe repellis orationē meam: auertis faciem tuam a me? Pauper sum ego et in laboribus a iuuentute mea: exaltatus aut humiliatus sum et cōturbatus. In me transierunt ire tue: et terrores tui conturbauerūt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul. Elongasti a me amicum et proximū: et notos meos a miseria.

Authoꝝ psalmi Propheta Ethan ezraite. Titu-

lus eruditio p̄phete Ethan. Et est psalm⁹ de misericordia et veritate dei ac de mutatione veteris testamēti et cōfirmatiōe noui: et de spe quā in Christo habem⁹ et alijs dei beneficijs plurib⁹. ¶ Psal. 88.

Misericordias domini: in eternum cantabo. In generatione et generationem: annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixisti in eternum misericordia edificabitur in celis: preparabitur veritas tua in eis. Disposui testamentum electis meis/ iuravi David seruo meo vsq̄ in eternum: preparabo semen tuum. Et edificabo in generatione et generationem: sedem tuam. Confite-

Die Veneris**Quinquagena Secunda.**

bunt celi mirabilia tua dñe: et em̄ veritatē tuā in ecclesia sc̄tōꝝ. Qm̄ q̄s in nubib⁹ equabit dño: aut q̄s filis erit deo in filiis dei. Deus qui glorificat in cōsilio sanctorū: magn⁹ et terribilis super oēs qui in circuitu eius sunt. Dñe deus virtutū quis filis tibi: potens es dñe et veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris: motū aut fluctuū eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratū superbū: in brachio virtutis tue dispersisti inimicos tuos. Tui sunt celi et tua est terra: orbē terre ⁊ plenitudinē eius tu fundasti: aquilonē et mare tu creasti. Taboꝝ et hermon in noīe tuo exultabunt: tuū brachiū cū potētia Firmes man⁹ tua ⁊ exaltet dextera tua: iusticia et iudiciū p̄paratio sedis tue. Misericordia et veritas p̄cedēt faciē tuā: beatus populus qui scit iubilationē. Dñe in lumine vult⁹ tui ambulabunt: et in noīe tuo exultabūt tota die: et in iusticia tua exaltabuntur. Quia gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Quia domini est assumptio nostra: et sancti Israel regis nostri. Tunc locutus es in visione sanctis tuis: et dixisti posui adiutorium in potente: et exaltaui electum de plebe mea. Inueni David seruū meū: oleo sancto meo unxi eum. Manus em̄ mea auxiliabit ei: ⁊ brachium meū confirmabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo: et filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidā a facie ipsius inimicos eius: et odientes eum in fugam cōuertā. Et veritas mea et misericordia mea cū ipso: et in noīe meo exaltabit cornu eius. Et ponā in mari manū eius: et in fluminibus dexteram eius. Ipse inuocabit me pater meus es tu: deus meus et susceptoꝝ salutis mee. Et ego primogenitum ponam illum: excelsum p̄ regibus terre. In eternū seruabo illi misericordiā meā: et testamentū meū fidele ipsi. Et ponā in seculū seculi semen eius: et thronum eius sicut dies celi. Si aut dereliquerint filij eius legem meā: et in iudicijs meis nō ambulauerint. Si iusticias meas prophanauerint et mandata

mea nō custodierint. Visitabo in virga iniquitates eorū: et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autē meā non dispergam ab eo: neq; nocebo in veritate mea. Neq; pphanabo testamentū meū: et que procedūt de labijs meis nō faciā irrita. Semel iuravi in sancto meo si David men-
ciar: semen eius ineternū manebit. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo: et sicut luna perfecta ineternū: et testis in celo fidelis. Tu vero repu-
listi et desperisti: distulisti Christū tuū. Auertisti testamētū serui tui: pro-
phanasti in terra sanctuariū eius. Destruixisti oēs sepes eius: posuisti fir-
mamentū eius formidinē. Diripuerūt eum oēs transeūtes viā: factus est
opprobriū vicinis suis. Et exaltasti dexterā deprimentiū eum: letificasti
oēs inimicos eius. Auertisti adiutoriū gladij eius: et nō es auxiliatus ei
in bello. Destruixisti eum ab emundatione: et sedem eius in terra collisisti
Mino: asti dies temporis eius: perfudisti eum cōfusione. Usquequo dñe
auertis in finē: exardescet sicut ignis ira tua. Memorare que mea substan-
tia: nunquid em vane cōstituisti omnes filios hominū. Quis est homo
qui viuet et non videbit mortem: eruet animā suam de manu inferi. Vbi
sunt misericordie tue antique dñe: sicut iurasti David in veritate tua. Me-
mor esto dñe opprobrij seruoꝝ tuorum: quod continui in sinu meo mul-
tarum gentiū. Quod exprobrauerūt inimici tui dñe: quod exprobraue-
runt commutationē Christi tui. Benedictus dñs ineternum: fiat fiat.

Author psalmi Propheta Moyses. Titulus ora-

tio Moysi hoīs dei. Et est psalmus de reparatione humani generis: necnon de breuitate et miserijs vi-
te presentis: ac de longitudine et felicitate vite sequentis. ¶ Psalmus. 89.

Domine refugiū factus es nobis: a generatione in generationē
Priusq; montes fierēt aut formaretur terra et orbis: a seculo et
vsq; in seculū tu es deus. Ne auertas hoīem in humilitatē: et dixisti con-
uertimini filij hoīm. Quā mille anni ante oculos tuos: tanq; dies bester-
na que preterijt. Et custodia in nocte: que pro nibilo habent eorum anni

erunt. Mane sicut herba transeat: mane floreat et transeat: vespere decidat induret et arescat. Quia defecimus in ira tua: et in furore tuo turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: seculum nostrum in illuminatione vultus tui. Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni: et amplius eorum labor et dolor. Quoniam superuenit mansuetudo: et corripiemur. Quis nouit potestatem ire tue: et pro timore tuo iram tuam dinumerare. Dexteram tuam sic notam fac: et eruditos corde in sapientia. Convertere domine usquequo: et deprecabilis esto super seruos tuos. Repleti sumus mane misericordia tua: et exultauimus et delectati sumus in omnibus diebus nostris. Letati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala. Respice in seruos tuos et in opera tua: et dirige filios eorum. Et sit splendor domini dei nostri super nos: et opera manuum nostrarum dirige super nos: et opus manuum nostrarum dirige.

Author psalmi propheta Moyses Et psalmus iste

nullum habet titulum in hebreo nisi eum qui in precedenti psalmo. Et est psalmus de certa et infallibili protectione diuina in tentatione: et pugna iusti hominis in deo et eius adiutorio firmiter sperantis. ¶ Psalmus. xc.

¶ **Q**ui habitat in adiutorio altissimi: in protectione dei celi commorabitur. Dicit domino susceptor meus es tu: et refugium meum deus meus: sperabo in eum. Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium: et a verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die: a negocio perambulante in tenebris: ab incurso et demonio meridiano. Cadent a latere tuo mille et decem milia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis. Quoniam tu es domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum. Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinqua

bit tabernaculo tuo. Quoniam angelis suis mandauit de te: ut custodi-
ant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas
ad lapidem pedem tuum. Super aspidem et basiliscum ambulabis: et con-
culcabis leonem et draconem. Quonia in me sperauit liberabo eum: prote-
gam eum quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me et ego exaudiam
eum cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum. Longitu-
dine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

Autho: psalmi propheta David. Titulus psal-
mus canticum in die Sabbati. Et est psalmus de exhortatione ad dei laudem pro diuersis beneficijs suis
ac de finali impiorum perditione et iustorum retributione. ¶ Psalmus. xci.

b Dominum est confiteri domino: et psallere nomini tuo altissime. Ad an-
nunciandum mane misericordiam tuam: et veritatem tuam per noctem.
In decacordo psalterio: cum cantico in cythara. Quia delectasti me domine in
factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo. Quoniam magnificata
sunt opera tua domine: nimis profunde facte sunt cogitationes tue. Vir insi-
piens non cognoscat: et stultus non intelliget hec. Cum exorti fuerint peccatores
sicut fenestra: et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem. Ut intendant in seculum secu-
li: tu autem altissimus in eternum domine. Quoniam ecce inimici tui domine quoniam ecce inimici
tui peribunt: et dispersionem omnes qui operantur iniquitatem. Et exaltabit sicut unicornis
cornu meum: et senectus mea in misericordia uerbi. Et desperit oculus
meus inimicos meos: et ab insurgentibus in me malignantibus audiet au-
ris mea. Iustus ut palma florebit: sicut cedrus libani multiplicabit. Plan-
tati in domo domini: in atrijs domus dei nostri florebunt. Adhuc multipli-
cabuntur in senecta uerbi: et bene patientes erunt ut annuncient. Quo-
niam rectus dominus deus noster: et non est iniquitas in eo.

Autho: psalmi propheta David. Titulus laus
Cantici David in die ante sabbatum quoniam fundata est terra. Et est psalmus de multiplici Christi laude:
ac regni eius scilicet ecclesie fundacione et stabilitate: dilacione et impugnatione. ¶ Psalmus. xcij.

d Dominus regnauit decorem indutus est: indutus est dominus forti

tudinem et precinxit se. Etenim firmavit orbem terre: qui nō commouebitur. Parata sedes tua extunc: a seculo tu es. Eleuauerunt flumina dñe: eleuauerūt flumina vocē suam. Eleuauerūt flumina fluctus suos: a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elatiōes maris: mirabilis in altis dominus. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo domine: in longitudine dierum.

Authoꝝ psalmi Propheta Dauid. Titulus psalmi

m^o Dauid quarta Sabbati. Et est psalm⁹ de exhortatiōe ad patientiā in laboribus iustozū cōtra felicitatē iniquozū: et de iudiciaria potestate Christi in persecutores fidelū. ¶ Psalmus .xciiij.

Deus vltionū dñs: deus vltionū libere egit. Exaltare qui iudicas terrā: redde retributionem superbis. Usquequo peccatores dñe: usquequo peccatores gloriabunt. Effabūtur et loquētur iniquitatē: loquentur oēs qui operant in iusticiā. Populum tuū dñe humiliauerunt: et hereditatē tuā vexauerunt. Viduam et aduenam interfecerunt: et pupillos occiderunt. Et dixerunt non videbit dñs: nec intelliget deus Jacob. Intellige insipientes in populo: et stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurē nō audiet: aut qui finxit oculū nō cōsiderat. Qui corripit gentes nō arguet: aut qui docet hoīem sciētīā. Dominus scit cogitatiōes hominum: quoniā vane sunt. Beatus homo quē tu erudieris dñe: et de lege tua docueris eum. Vt mitiges ei a diebus malis: donec fodiat peccatori fouea. Quia non repellet dominus plebem suam: et hereditatē suam nō derelinquet. Quoad usq; iusticia conuertat in iudiciū: et qui iuxta illā omnes qui recto sunt corde. Quis consurget mihi aduersus malignantes: aut quis stabit mecū aduersus operātes iniquitatē? Nisi quia dominus adiuuit me: paulominus habitasset in inferno anima mea. Si dicebā motus est pes meus: misericordia tua domine adiuuabit me. Szm multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tue letificauerunt animā meā. Nunquid adberet tibi sedes iniquitatis: qui fingis la

bozem in precepto: Captabāt in animā iusti: et sanguinē innocētem con-
demnabunt. Et factus est mihi dominus in refugium: et deus meus in
adiutorium spei mee. Et reddet illis iniquitatē ipso:um: et in malitia eos
rum disperdet eos: disperdet illos dominus deus noster.

Author psalmi propheta David. Titulus laus

cantici David. Et est psalmus de aduentu Christi et inuitatione populi ad dei hilarē laudē et hono-
rationē: ne indurati eius incurrant indignationē. ¶ Psalmus. xciiij.

v Venite exultem⁹ dño: iubilem⁹ deo salutari nro. Preoccupem⁹
us faciē ei⁹ in cōfessiōe: et i psalmis iubilem⁹ ei Qm̄ de⁹ magn⁹
dñs: et rex magn⁹ sup oēs deos: qm̄ nō repellit dñs plebē suā Quia i ma-
nu ei⁹ sūt oēs fines terre: ⁊ altitudies montiū ipsius sunt. Qm̄ ipsius est
mare et ipse fecit illud: et sicā manus ei⁹ formauerūt. Venite adoremus
et procidamus et ploremus ante dñm qui fecit nos: qz ipse est dñs deus
noster. Et nos populus pascue eius: ⁊ oues manus eius. Hodie si vocem
eius audieritis: nolite obdurare corda vestra. Sicut in irritatione: s̄m dñ-
em tentationis in deserto. Vbi tentauerūt me patres vestri: probauerūt
et viderūt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi illi:
et dixi semper hijs errant corde. Et isti non cognouerūt vias meas: vt iura-
ui in ira mea si introibunt in requiem meam.

Author psalmi propheta David. Titulus psal-

mus David qm̄ dom⁹ edificabat post captiuitatē. Et est inductio ad Christi laudē ppter eius aduen-
tum in carnē: et ad ipsius reuerentiā et timorē ppter eius aduentū ad iudiciū. ¶ Psalmus. xcvi.

c Antate dño canticū nouū: cantate dño ois terra. Cantate do-
mino et benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salu-
tare eius. Annunciate inter gentes gloriā eius: in omnibus populis mi-
rabilia eius. Quoniā magnus dominus et laudabilis nimis: terribilis
est super oēs deos. Quoniā omnes dij gentiū demonia: dñs aut celos
fecit. Confessio et et pulchritudo in cōspectu eius: sanctimonia et magni-
ficentia in sanctificatione eius. Afferte dño patrie gentium: afferte domi-
B iij

no gloriã et honorem: afferte domino gloriam nomini eius. Tollite bestias et introite in atria eius: adorate dñm in atrio sancto eius. Commoueat a facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus q: dominus regnavit. Etenim correxit orbem terre qui non comouebit: iudicabit populos in equitate. Letentur celi et exultet terra: comoueat mare et plenitudo eius: gaudebunt campi et oia que in eis sunt. Tunc exultabunt omnia lingua siluarum a facie dñi quia venit: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terre in equitate: et populos in veritate sua.

Autho: psalmi Propheta David. Titulus psal

mus ipsi David: qm̄ terra eius restituta est ei. Et est psalmus de primo aduentu Christi eiusq; victoria et gloriosa resurrectione: ac regni commendatione et consequenti ex his mundi liberatione. ¶ Psalmus. xcvi.

Dominus regnavit exultet terra: letent insule multe. Nubes et caligo in circuitu eius: iusticia et iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum precedet: et inflammabit in circuitu inimicos eius. Aluxerunt fulgura eius orbi terre: vidit et comota est terra. Montes sicut cera fluxerunt a facie dñi: a facie dñi ois terra. Annunciauerunt celi iusticiam eius: et viderunt oes populi gloriam eius. Confundant oes qui adorant sculptilia: et qui gloriantur in simulacris suis. Adorate eum oes angeli eius: audiuit et letata est syon. Et exultauerunt filie Jude. propter iudicia tua dñe. Quoniam tu dñs altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super oes deos. Qui diligitis dñm odite malum: custodit dñs animas sanctorum suorum: et de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta est iusto: et rectis cor de leticia. Letamini iusti in domino: et confitemini memorie sanctificationis eius.

Autho: psalmi Propheta David. Titulus psal

mus ipsi David. Et est exhortatio ad exultationem et dei laudem propter Christi aduentum in carne et nostram redemptionem eiusq; aduentum ad iudicium et nostram glorificationem. ¶ Psalmus. xcviij.

Cantate dño canticum novum: quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dexteram eius: et brachium sanctum eius. Notum fecit do

minus salutare suum: in cōspectu gentium reuelavit iusticiam suam. Recordatus est misericordie sue: et veritatis sue domui israel. Viderunt omnes termini terre: salutare dei nostri. Iubilate deo omnis terra: cantate et exultate et psallite. Psallite domino in cythara: in cythara et voce psalmi: in tubis ductilibus et voce tube co:nee. Iubilate in conspectu regis domini: moueatur mare et plenitudo eius: orbis terrarum et qui habitant in eo. Flumina plaudent manu simul: montes exultabunt a conspectu domini: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iusticia: et populos in equitate.

Author psalmi propheta David. Titulus psal-

mus David. Et est psalmus de potestate Christi regia et magnificentia eius in ecclesia: ac laude et honoratione sibi tantū deo et regi ab omnibus exhibenda.

¶ Psalmus. xcviij.

Dominus regnavit irascant populi: qui sedes super Cherubim moueatur terra. Dñs in syon magnus: et excelsus super oēs populos. Confiteant nomini tuo magno: qm̄ terribile et sanctum est: et honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones: iudiciū et iusticiam in Jacob tu fecisti. Exaltate dñm deum nostrū: et adorate scabellū pedum eius: qm̄ sanctum est. Moyses et Aaron in sacerdotibus eius: et Samuel inter eos q̄ inuocant nomē ei⁹. Inuocabūt dñm et ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebat ad eos. Custodiebāt testimonia eius: et preceptū qd̄ dedit illis. Dñe deus noster tu exaudiebas eos: de⁹ tu propicius fuisti eis: et vlciscens in oēs adinventiones eorū. Exaltate dñm deū nostrum: et adorate in monte sancto eius: qm̄ sanctus dñs deus noster.

Author psalmi Propheta David. Titulus psal-

mus pro confessione. Et est imitatio generaliter oim̄ hoim̄ ad confessionē peccatorum: et ad deum cū exultatione et alacritate laudandum.

¶ Psalmus. xcix.

iubilate deo omnis terra: seruite dño in leticia. Introite in conspectu eius: in exultatiōe. Scitote quoniā dñs ipse est deus: ipse

Die Saturni

Quinquagena Tertia

fecit nos et non ipsi nos. Populus eius et oues pascue eius: introite portas eius in confessione: atria eius in hymnis cōfitemini illi. Laudate nomen eius quoniam suavis est dñs: in eternū misericordia eius: et vsq; in generatione et generationem veritas eius.

Author psalmi Propheta David. Titulus psalmus David. Et est psalmus de forma recte viuendi: et ad perfectionē sanctitatis perueniēdi: docens et monens nos bona appetere et mala respuere. ¶ Psalmus. c.

M Misericordiā et iudiciū: cantabo tibi dñe. Psallam et intelligam in via immaculata: quando venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus mee. Non proponebā ante oculos meos rem iniustam: faciētes preuaricationes odiui. Non adbesit mihi cor: prauū: declinantē a me malignū non cognoscebā. Detrahentē secreto proximo suo: hunc persequebar. Superbo oculo et insaciabili corde: cū hoc nō edebam. Oculi mei ad fideles terre vt sedeāt mecū: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus mee qui facit superbiā: qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meoz. In matutino interficiebā omnes peccatores terre: vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.

Quinquagena Tertia.

Author psalmi Propheta David. Titulus oratio pauperis cū anxiaretur: et coram dño effunderet eloquiū suū. Et est oratio Christi nostro defectui cōpacientis: vel vere penitētis veniā de peccatis et liberationē a miseris deuote implo:antis. ¶ Psalmus. ci.

D Domine exaudi orationem meam: et clamor me⁹ ad te veniat. Non auertas faciē tuā a me: in quacūq; die tribulo: inclina ad me aurē tuam. In quacūq; die innocauero te: velociter exaudi me. Quia defecerūt sicut fum⁹ dies mei: et ossa mea sicut cremiū aruerūt. Percussus sum vt fenū et aruit cor meū: q; oblitus sum comedere panē meū. A voce gemitus mei: adbesit os meū carni mee. Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut noctico:ax in domicilio. Vigilauit et factus

sum sicut passer: solitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabāt me aduersum me iurabāt. Quia cinerē tanq̄ panē manducabā: et poculū meū cū fletu miscebā. A facie ire indignatiōis tue: quia eleuās allisisti me. Dies mei sicut ymbra declinauerūt: et ego sicut fenū arui. Tu autē dñe in eternū pmanes: et memoriale tuū ī generatiōe et generatiōe. Tu exurgēs misereberis syon: quia t̄pus miserendi eius quia venit t̄ps. Quā placuerūt seruis tuis lapides ei⁹: et terre ei⁹ miserebunt. Et timebūt gentes nomē tuū dñe: et oēs reges terre gloriā tuā. Quia edificauit dñs syon: et videbit̄ in gloria sua. Respexit in orationē humiliū: et non spreuit precem eorū. Scribant̄ hec in generatiōe altera: et populus qui creabit̄ laudabit dñm. Quia p̄spexit de excelso sc̄d̄ suo: dñs de celo in terrā aspexit. Ut audiret gemitus cōpeditōrū: ut solueret filios interemptōrū. Ut annūciēt in syon nomē dñi: et laudē ei⁹ in hierusalē. In cōueniēdo p̄p̄os in vnū: et reges ut seruiāt dño. Respondit ei in via virtutis sue: paucitatē dierum meorū nuncia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierū meorū: in generatiōe et generatiōe anni tui. Initio tu dñe terrā fundasti: et opa manū tuarū sunt celi. Ipsi peribūt tu autē pmanes: et oēs sicut vestimentū vetera scēt. Et sicut optōrū mutabis eos et mutabunt: tu autē idē ipse es et anni tui nō deficiēt. Filij seruo:ū tuorū habitabūt: et semē eorū ī seculū dirige. **Autho: psalmi propheta David. Titulus Da-**
uid. Et est excitatio ad dei laudē et gratiarum actionē pro multis beneficijs collatis et conferendis et in omnibus eius operibus. ¶ Psalmus. cii.

b **B**enedic anima mea domino: et omnia que intra me sunt nōmini sancto eius. Benedic anima mea domino: et noli obliuisci omnes retributiōes eius. Qui propiciat omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur ut aquile iuuentus tua. Faciens mi-

misericordias dominus: et iudicium omnibus iniuriam patientibus. No-
 tas fecit vias suas Moysi: filiis israel voluntates suas. Misericors et mi-
 sericors dñs: longanimis et multū misericors. Non in perpetuū irascet/
 neq; in eternū cōminabit. Non s̄m peccata nostra fecit nobis: neq; s̄m
 iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniā s̄m altitudinē celi a terra:
 corroborauit misericordiā suā super timentes se. Quantū distat ortus
 ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo mise-
 retur: pater filiorū: misert⁹ est dñs timētibus se: qm̄ ipse cognouit figmen-
 tum nostrū. Recordat⁹ est qm̄ puluis sumus: homo sicut fenū dies eius:
 tanq̄ flos agri sic efflorescit. Qm̄ spiritus pertransibit in illo et nō subsi-
 stet: et nō cognoscet amplius locū suū. Misericordia autē dñi ab eterno et
 vsq; in eternū: super timētes eum. Et iusticia illius in filios filiorum: his
 qui seruat testamentū eius. Et memores sunt mandatorū ipsius: ad fa-
 ciendū ea. Dñs in celo parauit sedē suā: et regnū ipsius omnibus domina-
 bitur. Benedicite dño oēs angeli eius potentes virtute: faciētes verbum
 illius ad audiēdā vocē sermonū eius. Benedicite dño oēs virtutes eius:
 ministri eius qui facitis voluntatē eius. Benedicite dño oīa opera eius/
 in omni loco dominationis eius: benedic anima mea domino.

Authoꝝ psalmi Propheta David. Titulus nul-

lus huic psalmo vel ipse David in hebreo preponit. Et est imitatio ad dei laudem pro diuersis operi-
 bus suis et pro multis beneficijs vniuersę creature exhibendis

¶ Psalmus. ciiij.

b **B**enedic anima mea dño: dñe deus meus magnificatus es vehe-
 menter. Confessionē et decorē induisti: amictus lumine sicut ve-
 stimento. Extendens celum sicut pellem: qui tegis aquis superiora eius.
 Qui ponis nubem ascensum tuū: qui ambulas super pennas ventoꝝ.
 Qui facis angelos tuos spūs: et ministros tuos ignem vrentē. Qui fun-
 dasti terrā super stabilitatē suā: non inclinabit in seculum seculi. Abyssus
 sicut vestimentū amictus eius: super montes stabunt aque. Ab increpa-

tione tua fugient: a voce tonitruū tui formidabūt. Ascendunt montes et descendunt campi: in locum quē fundasti eis. Terminū posuisti quē non transgredient: neq; conuertent operire terrā. Qui emittis fontes in conualibus: inter mediū montiū pertransibunt aque. Potabunt oēs bestie agrī: expectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres celi habitabūt: de medio petrarum dabūt voces. Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorū faciabitur terra. Producens fenum iumentis: et herbam seruituti hoīm. Et educas panē de terra: et vinum letificet cor hoīs. Ut exhilaret faciē in oleo: et panis cor hoīs confirmet. Saturabunt ligna campi et cedri libani quas plantauit: illic passerēs nidificabunt. Herodij domus dux est eorum: montis excelsi ceruis: petra refugium berinacijs. Fecit lunā in tempore: sol cognouit occasum suū. Posuisti tenebras et facta est nox: in ipsa pertransibunt oēs bestie silue. Catuli leonum rugietes vt rapiant: et querant a deo escam sibi. Ortus est sol et congregati sunt: et in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum: et ad operationē suam vsq; ad vespērā. Quā magnificata sunt opera tua dñe: oīa in sapētia fecisti: impleta est terra possessiōe tua. Hoc mare magnū et spaciosum manibus: illic reptilia quorū non est nūerus. Animalia pusilla cū magnis: illic naues pertransibūt. Draco iste quē formasti ad illudēdum ei: oīa a te expectāt vt des illis escam in tempore. Dante te illis colligent: aperiēte te manū tuā oīa implebunt bonitate. Auertente autē te faciē turbabuntur: auferes spiritū eorum et deficient: et in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum et creabuntur: et renouabis faciem terre. Sit gloria domini in seculum: letabitur dominus in operibus suis. Qui respicit terram et facit eam tremere: qui tangit montes et fumigāt. Cantabo domino in vita mea: psallam deo meo q̄diu sum. Iocundum sit ei eloquium meum: ego vero delectabor in domino. Deficiant peccatores

a terra et iniqui ita vt non sint: benedic anima mea domino.

Author psalmi Propheta David. Titulus alle
luia. Et est incitatio ad dei laudem pro beneficijs et mirabilibus diuinis populo Israhel temporibus
 diuersorum patrum antiquorum exhibitis. ¶ Psalmus. ciiij.

Confitemini dño et inuocate nomē ei⁹: annūciate inter gentes
 opera eius. Cantate ei et psallite ei: narrate oīa mirabilia eius.
 Laudamini in noīe sancto eius: letet̄ cor: querētū dñm. Querite dñm et
 cōfirmamini: querite faciē eius semper. Memētote mirabiliū eius que fe
 cit: prodigia eius et iudicia oris eius. Semen Abraam serui eius: filij Ja
 cob electi eius. Ipse dñs deus noster: in vniuersa terra iudicia ei⁹. Memo
 r fuit in seculū testamēti sui: verbi quod mandauit in nulle generationes.
 Quod disposuit ad Abraam: et iuramenti sui ad Isaac. Et statuit illud
 Jacob in preceptū: et israel in testamentū eternum. Dicens tibi dabo ter
 ram Chanaan: funiculū hereditatis vestre. Cum essent numero breui/
 paucissimi et incole eius. Et pertransierunt de gente in gentē: et de regno
 ad populū alterū. Non reliquit boīem nocere eis: et corripuit pro eis re
 ges. Nolite tangere christos meos: et in prophetis meis nolite maligna
 ri. Et vocauit famem super terrā: et omne firmamētum panis contriuit.
 Misit ante eos virum: in seruū venundatus est Joseph. Humiliauerūt in
 cōpedibus pedes eius: ferrū pertransiit animā eius: donec veniret verbū
 eius. Eloquiū dñi inflammavit eum: misit rex et soluit eum: princeps po
 pulorum et dimisit eum. Constituit eum dñm domus sue: et principem
 oīs possessionis sue. Vt erudiret principes eius sicut semetipsum: et senes
 eius prudētiā doceret. Et intrauit israel in Egyptū: et Jacob accola fuit
 in terra cham. Et auxit populū suum vehementer: et firmauit eum super
 inimicos eius. Conuertit cor: eorū vt odirent populū eius: et dolum face
 rent in seruos eius. Misit Moysen seruū suum: Aaron quē elegit ipsum.
 Posuit in eis verba signorū suorū et prodigioꝝ: in terra Chani. Misit te

nebras et obscuravit: et non exacerbauit sermones suos. Conuertit aquas eorum in sanguinem: et occidit pisces eorum. Edidit terra eorum ranas: in penetralibus regum ipsorum. Dixit et venit cinomia et cinifes: in omnibus finibus eorum. Posuit pluias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum. Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum: et contriuit lignum finium eorum. Dixit et venit locusta et bruchus: cuius non erat numerus. Et comedit omne fenulum in terra eorum: et comedit omnem fructum terre eorum. Et percussit omnem primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum. Et eduxit eos cum argento et auro: et non erat in tribubus eorum infirmus. Letata est Egyptus in profectioe eorum: quia incubuit timor eorum super eos. Expandit nubem in protectionem eorum: et ignem ut luceret eis per noctem. Petierunt et venit coturnix: et pane celi sattrauit eos. Dirupit petram et fluxerunt aque: abierunt in sicco flumina. Quoniam memor fuit verbi sancti sui: quod habuit ad Abraam puerum suum. Et eduxit populum suum in exultatione: et electos suos in leticia. Et dedit illis regiones gentium: et labores populorum possederunt. Ut custodiant iustificationes eius: et legem eius requirant.

Authoꝝ psalmi propheta David. Titulus Alle

luia alleluia. Et est psalmus de ingratitude populi israel pro beneficijs a deo sibi exhibitis: ac de iusticia et misericordia dei circa illos ostensis. ¶ Psalmus. cv.

C Onfitemini domino quoniam bonos: quoniam in seculum misericordia eius. Quis loquetur potentias domini: auditas faciet omnes laudes eius. Beati qui custodiunt iudicium: et faciunt iusticiam in omni tempore. Memento nostri domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad letandum in leticia gentis tue: ut lauderis cum hereditate tua. Peccauimus cum patribus nostris: iniuste egimus iniquitatem fecimus. Patres nostri in Egypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordie tue. Et irritauerunt ascendentes in mare: mare rubrum. Et saluauit eos propter nomen suum: ut

